

cialiter concessum a superiore; quod neque Papa, neque ulli alteri concessum legimus quoad Legem naturalem. Attamen, quia sunt quaedam difficultates enodandae circa dispensationes Papales, ne quid desit huic quaestioni.

Obj. 4. Votum & juramentum ligant Jure naturae. Matrimonium ratum est Jure naturae indissolubile. Pluralitas Beneficiorum est contra Jus naturae. Residentia Episcoporum est juris naturae; atqui in his omnibus Papa dispensat. Unde dixit Christus Petro: *Quicumque solveris super terram, erit solutum & in caelis*: ergo. Insuper communitas bonorum & libertas sunt de Jure naturae; & tamen possessionum distinctio, & servitus Jure gentium sunt introductae: ergo. R. N. Min. intellectam de dispensatione proprie dicta. Ad 1. de voto & juramento, Papa non facit, quod vovens, seu jurans durante voto, aut juramento, sive eorum obligatione, non teneatur illa servare, quod esset dispensare proprie in Lege naturali; sed nomine Dei relaxat obligationem, & debitum ortum ex voto & juramento; seu remittit jus, quod Deus acquisiverat per votum & juramentum, quo remisso, cessat Lex obligare ad servandum botum, seu juramentum. Sicut v. gr. solvere debitum homini est de Lege naturae: si tamen creditor relaxet, seu remittat mihi debitum, non teneor amplius solvere, non quia ipse mecum dispensavit in Jure naturae, sed quia mutavit materiam obligationis, & fecit, quod id, quod erat debitum, non sit amplius debitum. Ita quod, sicut observavimus, hujusmodi dispensatio impropria cadit directe super materiam Legis, cum, si esset propria, deberet cadere directe supra ipsam Legem.

Ad 2. de matrimonio rato: Pontifices, qui dispensant in illo, secuti sunt sententiam probabilem illorum, qui volunt ejus indissolubilitatem non esse de Jure naturae, sed positivo tantum, vel illorum, qui censent esse quidem Jure naturae indissolubile privata contrahentium auctoritate, non publica, & delegata Papae a Christo. Caeterum plures alii Pontifices hanc potestatem sibi esse denegant agnoverunt.

Ad 3. R. cum Auctore, (*Quolib. 9. art. 15. o.*) quod habere plus Beneficia non sit de genere malorum, quae habent inseparabiliter annexam malitiam, ut fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi, quae nullo modo fieri possunt; sed est de genere actionum, quae absolute considerata deformitatem, & indecentiam quandam importat, quae tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonae efficiuntur: sicut percutere hominem in se deformitatem quandam importat; sed si addatur, percutere delinquentem causa disciplinae, non erit peccatum. Igitur pluralitas Beneficiorum absolute considerata est contra Jus naturae, sed considerata cum circumstantiis, v. gr. necessitatis, seu majoris utilitatis Ecclesiae, abstergentibus ejus inordinationem aliqualem, non est contra Jus naturae. Haec affinia sunt illi, quae dixi supra de matrimonio inter fratres & sorores, & de polygamia. Confer etiam, quae dixi de Just. Dissert. 9. art. 5.

Ad 4. de residentia Episcoporum; R. non esse de Jure naturae, nisi in casu, quo praesentia Pastoris sit absolute necessaria regi, & gravior Ecclesiae necessitas absentiam non exigat; in quo casu Papa non potest dispensare. Quantum ad delegationem generalem a Christo factam S. Petro, patet eam esse intelligendam intra terminos delegationis, cujus est capax

potestas humana, & quam esse Petro factam agnoscit Ecclesiae traditio: nisi velis, SS. Pontifices posse nos eximare a praeceptis charitatis & fidei, a cultu vere Religionis, & quodcumque scelus perpetrandi facultatem concedere, quod est plusquam absurdum.

Ad 5. de communitate bonorum & libertate; R. 2. (*Hic 9. 94. art. 5. ad 3.*) communitatem bonorum, & libertatem esse de Jure naturali donante & concedente, sed non prohibente contrarium. Dupliciter igitur aliquid dicitur de Jure naturali; uno modo, quia ad hoc praecipiendo inclinat ut necessario faciendum, vel vitandum, sicut non esse faciendam injuriam alteri. Alio modo, quia natura illud contulit, & non induxit contrarium, licet induci non prohibeat; sicut possumus dicere, quod hominem esse nudum sit de Jure naturali, quia natura non dedit ei vestimentum, sed ars advenit. Et hoc modo bonorum communitas, & libertas dicuntur esse de Jure naturali, quia scilicet distinctio possessionum, & servitus non sunt inductae a natura; non tamen prohibent, ubi expedirent. Et sic in hoc Lex naturae non est immutata nisi per additionem: imò nullo modo immutata; quod enim dicitur sic Jus naturale, non debet nominari proprie Lex naturalis, de cujus ratione est, quod sit praecipitiva, aut prohibitiva.

Petes, utrum interpretatio, & epikia habeant locum in Lege naturali? Interpretatio generaliter sumpta est Legis explicatio, qua declaratur illam in tali, vel tali casu obligare, vel non obligare; ad quod non requiritur auctoritas, sed prudentia & scientia. Est duplex interpretatio, una verbalis, & quae dicitur simpliciter interpretatio, & est explicatio verborum Legis conformiter ad mentem, quam habuit actu Legislator, quando Legem tulit. Altera est per epikiam, & est explicatio intentionis habitualis Legislatoris contra verba Legis, seu intentionis, non quam actu habuit Legislator, quando Legem tulit, sed quam habuisset, si ad hunc casum particularem attendisset. Unde epikia definitur ab Aristot. 5. Ethic. c. 10. *Legis emendatio, ubi deficit propter universalis*. Cum enim Legislator non possit omnes, & singulos casus praevidere, potest contingere, quod in aliquo Lex erret, & sit contraria bono communi; & tunc adhibetur epikia, seu declaratio praesumpta intentionis Legislatoris contra verba Legis. His praemissis,

R. ad petitionem, interpretationem simpliciter dictam, seu verbalem habere locum in Lege naturali, non epikiam. Ratio 1. partis est; quia non omnia Legis naturae praecipita sunt aequè nota, nec aequè intellecta facilia: ergo quaedam ex illis indigent aliqua explanatione, ut verus eorum sensus habeatur. Sic v. gr. Lex naturalis, quae dicitur depositum esse reddendum, indiget aliqua explanatione; non urget enim, ubi repetitur in damnum alicujus. Ratio 2. partis est; quia Lex naturalis non praecipit, aut prohibet tantum in generali, sed ad singulos casus descendit: nullus enim potest subterfugere cognitionem Dei sui Auctoris. Excipit ergo, quae sunt excipienda; non praecipit, nisi quae sunt praecipienda; nec prohibet, nisi quae sunt prohibenda etiam in particulari; unde deficere non potest propter universalem, siquae non eget emendari. Confirmatur: Non est adhibenda epikia, ubi Legislator praesens potest consuli; atqui ubique & semper adest Legislatrix ratio: ergo.

hujus definitionis, excepta secunda, patent ex definitione legis in communi. Dicitur itaque *Legi naturali convenientis*: (*Hic 9. 95. art. 2. o.*) quia omnis lex humana derivatur a lege naturali, non quidem ut conclusio necessaria, seu ut habens cum principiis legis naturalis necessariam connexionem, alioquin pertineret ad ipsam legem naturalem, sed ut conveniret, & probabiliter ex illis deducta, & ut illorum determinativa.

Explicatur: (*Ibid.*) Dupliciter aliquid potest derivari a Lege naturae; uno modo ut conclusio ex principiis modo syllogistico, ut fit in scientiis; alio modo sicut determinatio quaedam aliorum communium, ut fit in artibus, in quibus formae communes determinantur ad aliquid speciale; sicut cum artifex formam communem domus ad hanc, vel illam domus figuram determinat. Quae derivantur ex Lege naturali primo modo, sic pertinent ad Legem humanam, ut etiam pertinent

ad Legem naturae. Quae autem secundo modo, pertinent ad solam Legem humanam; sic, v. gr. quando ex hoc principio naturali, *malum non est faciendum*, subsumo; atqui furari est malum; & ex hoc utroque principio naturali infero modo syllogistico: ergo non est furandum; haec conclusio, necessario deducta ex duobus praemissis naturalibus, non solum est Legis positiva, sed etiam naturalis. At si ex hoc principio naturali: *Fures sunt puniendi*, Legislator humanus inferat: *ergo sunt suspendendi*; ista conclusio non sequitur necessario exposito principio, neque est aliud principium naturale subsumendum, ex quo necessario sequatur, ut in praecedenti; sed Lex naturalis de puniendis furibus in communi per judicium humanum determinatur ad suspendendum, tanquam ad poenam criminis congruam, hoc modo: *Fures sunt puniendi; atqui puniendi congrua furibus est suspensio: ergo haec poena sunt puniendi*. Ubi vides, subsumptum non esse aliquid principium Legis naturalis, ut in primo, sed judicium humanum prudens & rationi consentaneum; & ideo haec conclusio pertinet ad solam Legem humanam. Hoc ergo sensu duntaxat dicitur Legem humanam derivari a Lege naturali; & ideo dixi, *Legi naturali convenientis*.

#### §. II. De necessitate Legum humanarum.

Dico: Leges humanae sunt necessariae, non quidem simpliciter & absolute, sed sic, ut, attenta hominum perversitate, corruptione, & pronitate in malum, sine legibus humanis nec multitudo virtutem, nec Respublica pacem habere & conservare posset. (*Ibid. art. 1. o.*)

Prob. 1. (*Ibid.*) Plures invenimus homines protervi & ad vitia proni, qui verbis de facili moveri non possunt, consequenter necessarium fuit, quod per vim, vel metum cohiberentur a malo, ut saltem sic male facere desisterent, & alii quietam vitam redderent, & ipsi tandem per hujusmodi assuetudinem ad hoc praeducerentur, quod voluntarie facerent, quae prius metu implebant, & sic fierent virtuosius; atqui haec praestant leges humanae: unde Isidorus l. 5. Etym. c. 20. *Facta sunt, inquit, Leges, ut earum metu humans coerceseret audacia, tutaque sit inter improbos innocentia; & in ipsis improbis formidato supplicio refrangeret nocendi libertas*: ergo.

Neque dicas, ad haec sufficere legem naturalem & divinam. Nam 1. Lex naturalis nullam poenam determinate decernit; lex divina non nisi longe distantes & invisibiles praescribit, quibus ideo non moventur, & quas continentur improbi, ita ut subditis legibus humanis, homicidia, furta, sacrilegia, raptus, adulteria, violentiae, & omnia scelera grassarentur in totalem Republicae perniciem & eversionem, juxta illud Aug. *Remota justitia, quid sunt Regna, nisi magna latrocinia*. Insuper lex naturalis in pluribus ignoratur, multa in communi praescribit indeterminata quoad modum, tempus, & locum, non omnia ad sui observantiam utilis in particulari praecipit: quibus omnibus occurrunt leges humanae, praescribendo quaedam legis naturalis, quae ignorabatur, determinando modum, tempus, locum ejus obligationis, & plura utilis ad ejus observantiam praecipiendo.

Neque (*Ibid. ad 2.*) etiam dicas, ad haec omnia sufficere arbitria Judicum: quia juxta Philos. 1. Rhet. c. 1. melius est omnia ordinari lege, quam dimittere Judicum arbitrio: & hoc propter tria. Quia facilius est invenire paucos sapientes, qui sufficient ad leges rectas ponendas, quam multos, qui requirentur ad recte judicandum de singulis. 2. Quia illi, qui leges ponunt, ex multo tempore considerant, quid lege ferendum sit; sed judicia de singularibus factis fiunt ex casibus subito exortis. Facilius autem ex multis consideratis potest homo videre quid rectum sit, quam solum ex aliquo uno facto. 3. Quia Legislatores judicant in generali & de futuris, sed homines iudicis praesidentes judicant in particulari de praesentibus, ad quae saepe afficiuntur amore, vel odio, aut aliqua cupiditate, & sic eorum depravat judicium. Quia ergo justitia animata Judicis non invenitur in multis, & quia flexibilis est, ideo necessarium fuit in quibuscumque est possibile, legem determinare quid judicandum sit, & paucissima hominum arbitrio committere.

#### §. III. De Qualitatibus Legis humanae.

Dico: (*Ibid. art. 3. o.*) Isidorus l. 5. Etym. c. 21. convenienter describit qualitates legis humanae dicens: *Erunt lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem Patriae, loco temporisque convenientis, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium scripta*. Et hoc recipitur in Jure canon. d. 4. c. 2.

Prob. (*Ibid.*) Lex debet esse proportionata utilitati hominum ut fini suo; & cum sit regula & mensura actuum humanorum

regulata & mensurata per legem naturalem & divinam, debet etiam esse utriusque proportionata; atqui hanc triplicem proportionem habet per qualitates assignatas, ut constat ex earum explanatione: ergo.

Itaque dicitur *honestata* (*Ibid.*) id est, congrua Religioni; nihil enim debet, praescribere, aut prohibere, quod cultui divino repugnet, sed quod sit illi consentaneum. Dicitur *justa*, id est, rationi conformis. *Possibilis secundum naturam*, id est, proportionata viribus subditorum, ita ut non eadem imponatur pueris & viris perfectis, nec nimis ardua & difficilia praecipiat, nisi forte ita exigat urgens necessitas boni communi; quia, regulariter loquendo, leges nimis difficiles, aut nimis multiplicatae; plus nocent multitudini, quam prosint, cum paucissimi ob rei difficultatem & humanam fragilitatem eas observent; & ideo 2. 2. q. 105. art. 1. ad 3. docet Auctor, Praelatos debere abstinere a multitudine praecceptorum. Dicitur, *possibilis secundum consuetudinem Patriae*; quia non potest homo solus in societate vivere, aliorum morem non gerens; unde Puerpera tempore purificationis secundum morem Patriae non tenetur lege audiendi Sacrum. Dicitur, *loco, temporisque convenientis*; quia sicut omnes alii actus humani, lex debet vestiri omnibus suis circumstantiis. Dicitur, *necessaria*, ad remotionem malorum; *Utilis*, ad consecutionem bonorum; *Manifesta*, id est, distincte & clare concepta, ut possit ab omnibus intelligi, ne alioquin per obscuritatem sit ipsis laqueus. Dicitur, *pro communi utilitate*; quia commune bonum est finis legis, ut dicitur est supra. Dicitur *Scripta*; quia, ut firmius memoria teneatur, scribi solet, quamvis id non sit absolute necessarium.

#### §. IV. De Variis Legum humanarum divisionibus.

Auctor (*Ibid. art. 4. o.*) ex Isidoro varias refert Legis divisiones secundum diversas ejus considerationes. Considerata enim secundum suam originem a lege naturali dividitur in Jus gentium & Jus civile. Considerata per ordinem ad bonum commune dividitur in Jus militare, Jus Sacerdotum, & Jus Principum. Considerata ratione sui Auctoris dividitur secundum diversa regimina in constitutiones Principum, Senatūs Consulta, Jus praetorium, Plebiscita, & in legem, quam majores simul cum plebe sancunt. Considerata, quatenus est directiva actuum humanorum, in tot leges dividitur, quot sunt diversae materiae, de quibus feruntur, ut de adulteris, de sceleris, &c. Quantum ad has omnes divisiones videri potest Auctor cum Commentario Sylvii. Divisio autem communis & vulgata Legis humanae est in Civilem & Ecclesiasticam. Leges civiles perquamque continentur in corpore Juris Civilis. Leges Ecclesiasticae in corpore Juris Canonici. Circa utrumque nonnulla sunt hic explicanda, praesertim in gratiam Tyrannum. Unde

Petes 1. Quid intelligatur per Corpus Juris, sive Canonici, sive Civilis? R. Jus Canonicum, prout in Scholis traditur, consistit quinque partibus, scilicet Decreto, Decretalibus, Sexto Decretalium, Clementinis, & Extravagantibus Joannis XXII. & quorundam aliorum Pontificum. Decretum, a Gratiano Monacho Benedictino collectum, tribus partibus componitur. Prima continet 101. distinctiones. Secunda 36. causas: quilibet causa in quaestiones, & quilibet quaestio in capitula distribuitur. Quaestio tertiae causae trigesima tertiae insertus est Tractatus de Penitentia. Tertia pars continet 7. distinctiones de Consecratione.

Decretales, a S. Raymundo de Pennafort Ordinis Praedicatorum jussu Gregorii IX. collectae, in 5. libros distribuuntur, libri in diversa capita. Dicuntur Decretales, quia continent decreta, constitutiones, epistolas, & responsa SS. Pontificum. Sextus Decretalium sic dictus, quia quinque prioribus adjectus est a Bonifacio VIII. pariter 5. libros complectitur in varia capita distributos.

Clementinae sunt constitutiones a Clemente V. vel a Concilio Viennensi, cui praefuit, editae, & quas publici Juris fecit Joannes XXII. ejus successor. Extravagantes sic dictae, quia extra corpus Juris, antequam ei insererentur, quasi vagabantur; quaedam sunt & dicuntur Joannis XXII. aliae aliorum Pontificum dicuntur communes.

Corpus Juris civilis constat Digestis, Codice, Institutionibus, & Novellis, seu Authenticis. Digesta alio nomine dicuntur *Pandecta*, quasi diceret totum capio, quia universam Juris scientiam 50. libris complectuntur. Codex dicitur *Repetita lectio*, quia Justinianus post primam Editionem alteram accuratorem curavit, coalescit 12. libris in varios titulos distributis. Institutiones continent elementa Juris, in gratiam incipientium. Constant. 4. libris. Novella, seu Authenticae sunt constitutiones ipsius Justiniani Imperatoris, & aliorum aliorum Imperatorum.



Explicuntur citationes ex utroque Jure. Ex Jure Canonico.

**T**extus, desumpti ex 1. parte Decreti, sic citantur: C. *Placuit*, Dist. 16. id est, Canone, qui incipit: *Placuit*, distinctione decima sexta. Ex 2. parte: C. *Ecclesiarum* 12. q. 2. id est, Canone, qui incipit *Ecclesiarum*, causa duodecima, questione secunda. Ex 3. parte: C. *In Sacramento* Dist. 2. de Consecratione; id est, Canone, qui incipit: *In Sacramento*, distinctione secunda de Consecratione.

Ex Decretalibus: Cap. *Ex transmissa*, extra de foro competentis: id est, capite, quod incipit: *Ex transmissa*, extra corpi Decreti, titulo de foro competentis, vel omisso titulo capitis, sic c. 6. extra de foro competentis, vel omisso titulo capitis, sic c. 6. extra de foro competentis. Quidam omittunt extra.

Ex Sexto Decretalium: Cap. *Romana* de Appellationibus in 6. Id est, capite, quod incipit: *Romana*, titulo de Appellationibus in Sexto Decretalium.

Ex Clementis cap. *Abates* Clement. de Rescriptis: Id est, capite, quod incipit: *Abates* in Clementina, cujus titulus est de Rescriptis.

Ex Extravagantibus similiter: Cap. *Ad Conditorum* de verborum significatione Extrav. Joann. XXII. vel cap. *Vas electionis* de Hæreticis Extrav. com. Id est, capite, quod incipit: *Ad conditorum*, titulo de verborum significatione, in Extravagantibus Joannis XII. vel capite, quod incipit: *Vas electionis*, titulo de Hæreticis, in Extravagantibus communibus.

#### Ex Jure Civili.

**T**extus, desumpti ex Digestis, sic citantur: L. *Si hereditatem*, D. vel ff. de hereditatis petitione: id est, lege, quæ incipit: *Si hereditatem* in Digestis, titulo de hereditatis petitione.

Ex Codice: L. *Creditor* C. de usuris: id est, lege, quæ incipit: *Creditor* in Codice, titulo de usuris.

Ex Institutionibus: Inst. de curatoribus §. *Furiosi*: id est in libris Institutionum titulo de curatoribus §. *Furiosi*: id est incipit *Furiosi*.

Ex Novellis, seu Authenticis: Novella 43. c. 1. §. *Si vero*: id est, cap. primo, Paragrapho, qui incipit: *Si vero*: Vel: *Authentica de Tabellionibus* inter Novellas Justin. 43. cap. 1. §. *Si vero*: id est, Authentica, cujus titulus est de Tabellionibus, quæ est 43. inter Novellas Justiniani, capite primo §. qui incipit: *Si vero*.

Petes 2. Utrum omnia, quæ continentur in utroque corpore Juris, si Canonici, quam Civilis, habeant vim legum? R. 1. Quantum ad Jus Canonicum Decretum Gratiani non aliam habere auctoritatem, quam fontium & originum, ex quibus depromptum est. Ratio est; quia nullus unquam Pontifex illud approbavit. Gratianus hujus Auctor nullam jurisdictionem pollebat. Insuper multa concessit sine delectu, & emendatione digna. Quædam citat ex suspectis Auctoribus. Quædam tribuit SS. Patribus, quæ sunt Hæreticorum, ut probat Bellarm. de Script. Ecclies. in Gratiano. SS. Pontificum & Conciliorum Decreta sæpè non ex fontibus, sed ex aliis compilatoribus, & non raro propriis permixta verbis, profert.

Et quamvis Greg. XII. curaverit ejus emendationem, non tamen ipsum approbavit, sed tantum jussit emendationes servari absque eo, quod eis aliquid adderetur, aut detraheretur, ut patet ex ejus Constitutione in capite Decreti impressa, & eo maxime quod post ejus correctionem reperiantur adhuc emendanda. In hanc rem Joannes Laurentius Bertrami Eremita Augustinians, novissimus & elegantissimus Scriptor, refert decisionem Sacre Rotæ, quæ eadem dicit.

Itaque, quæ Gratianus legitime citat ex SS. Pontificibus & Conciliis ea auctoritate pollet, quam habent in seipsis. Similiter, quæ veraciter citat ex Conciliis Nationalibus, aut Provincialibus, valent pro illis Nationibus, aut Provinciis, pro quibus sunt sancita, etiam si a SS. Pontificibus sint confirmata; quia confirmatio addit quidem robur Decreto, sed illud non magis extendit, ut notant Jurisperiti. Idem dicendum proportionem servata de aliis, quæ protulit sive ex SS. Patribus, sive ex Doctoribus, & aliis.

Quantum ad alias partes Juris Canonici, cum non continent nisi Epistolas, Rescripta, & Constitutiones SS. Pontificum, vim habent legis, secundum quod sunt communiter receptæ, seu nisi sint revocata, vel per contrariam consuetudinem probatam abrogata. Intellige de Constitutionibus circa disciplinam, non circa fidem; hæ enim sunt invariabiles.

Utrum verò Rescripta Pontificum, uni Ecclesie data, valeant & possint allegari pro aliis? R. regulariter affirmative, præsertim quando Decretalis Epistola Juris corpori inserta meruit auctoritatem publicam. Et ita observatur in Civilibus Imperatorum Rescriptis, ut constat ex l. 1. ff. de Constitutioni-

bus Principum. Excipe tamen, inquit Layman post Isidorum & Gratianum, si Papæ, vel Imperatoris Responsum ex causa speciali, persona, loco, & tempore prodierit; tunc enim ad alias causas transferri non potest: & ideo dicit, *regulariter loquendo*. R. 2. Quantum ad Jus civile habere auctoritatem apud eas Nationes & Provincias, quæ illud adoptarunt, nec moribus contrariis reguntur: apud eas etiam, quæ usibus contrariis reguntur, ubi usus deficit, Jus commune allegatur.

Petes 3. Utrum declarationes & interpretationes Congregationis Cardinalium habeant vim legis? R. ex Decreto Urbani VIII. die secunda Augusti 1632. nullius esse roboris, nisi sint subscriptæ a Cardinali Præsidente & Congregationis Secretario, cum appositione soliti sigilli: debet insuper accedere mandatum Papale, ut sufficienter promulgatæ vim legum habeant.

#### ARTICULUS II.

Qualis humane Legis promulgatio requiratur, ut obliget?

**A**liqualem legis promulgationem requiri, ut obliget, diximus supra de lege in communi. Quæritur nunc, qualis requiratur ad legem humanam? Distingueda est promulgatio a divulgatione. Promulgatio est publica legis denuntiatio, facta jussu Legislatoris cum aliqua solemnitate secundum usum receptum. Divulgatio est declaratio ipsius promulgationis facta per privatos fide dignos iis, qui promulgationem non interfuerunt. Et questio moveri potest tum de legibus simpliciter dictis, tum de legibus revocatoriis legum & privilegiorum. Unde sit

#### §. I. De Promulgatione Legis simpliciter dictæ.

**D**ico 1. Ex natura rei, & secluso Jure positivo, ea requiritur & sufficit legis humane promulgatio, qua possit moraliter devenire in notitiam subditorum. Quia ideo necessaria est legis promulgatio, ut subditi innotescat: ergo ex natura rei ea requiritur & sufficit; qua possit moraliter & humano modo devenire in notitiam subditorum, si non simul, saltem successivè. Neque enim ex natura rei aliqua forma, seu solemnitas determinata est pro legum promulgatione, sed tantum quod debeant sufficienter promulgari: & quia est frequens recessus & accessus ad Curiam Principis, multi opinantur sufficienter regulariter ex natura rei, si promulgentur in Curia Principis.

Dico 2. Attento Jure positivo, lex Imperialis debet promulgari in singulis Provinciis, seu in earum Metropoli, ut in iis obliget. Ita communiter.

Prob. ex Novella 66. Justiniani ut factæ novæ Constitutiones, ubi Imperator decernit tunc demum suas leges in Provinciis obligare, cum in earum Metropoli fuerint promulgatæ. Et quamvis loquatur tantum ibi de testamentis, tamen Juris Interpretes communiter extendunt ad omnes leges Imperiales, quia i. rubrica, seu titulus sic sonat ut factæ novæ Constitutiones, est generalis: Rubrica autem cum habet sensum perfectum, nec textui legis contrarium, juxta Jurisconsultos habet vim legis. 2. Quia ratio, quam adfert Imperator in lege Sancimus, est generalis, & militat pro omnibus legibus: *Cur enim, inquit, culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint Constitutiones... si, eod quod nondum proposita fuerint, justè ignorentur*. 3. Quia usus communis sic obtinuit, & ita declaravit Plus IV. in Bulla *Ad Sacrorum* de tempore observationis Concilii Trid. Idque omnino rationi congruit. Si enim ea requiritur promulgatio, qua lex moraliter & humano modo innotescere possit subditis, id sanè quam difficile obtinebit in vastissimo Imperio, si solum in Curia Principis promulgetur facile autem & commode, si in singulis Provinciis.

Idem videtur dicendum de Regnis & Provinciis, quæ Jure Casareo utuntur propter Novellam citatam. Quantum verò ad alia Regna & Provincias standum est terminis i. Conclusionis; aut venandum ex circumstantiis, quæ sit intentio Legislatoris, nisi usus aliquid speciale statuerit. Sic in Gallia ex usu recepto leges promulgatæ in Curia Principis, seu Parisiis, non obligant in Provinciis, nisi in supremis earum Curis, vulgò *Parlemens*, recipiantur & promulgentur. Sic etiam in Ordine nostro usus obtinuit, ut leges, seu acta Capituli Generalis vel Provincialis in singulis Conventibus promulgentur ex mandato Capitularium, & consequenter quod tunc & non ante censentur promulgata & obligantia etiam ipsos Capitulares, ita ut illa prima publicatio, quæ fit in comitiis, sit potius insinuatō quædam, seu inchoatio promulgationis faciendæ, quam completa promulgatio. Ita observat Bertrami. Loth. ex Arabio.

In hucusquæ dictis satis conveniunt Auctores; sed controversia est potissimum de legibus Pontificiis. Plures tenent, promulgatas Romæ obligare ubique, nisi Pontifex exprimat promul-

mulgandas esse in singulis Provinciis. Plures contendunt e contra, promulgatas Romæ tantum, non obligare in aliis Provinciis, nisi contrarium exprimat Pontifex, quibus subscribimus: Unde

Dico 3. Probabilis videtur, leges Pontificias statuentes Jus novum, & novam obligationem inducentes, debere in singulis Provinciis, seu Dioccesibus promulgari saltem virtualiter, ut in iis obligent, nisi contrarium exprimat SS. Pontifex. Vim non facimus in variis legibus, & decretis antiquorum Pontificum & Conciliorum, quæ curantur ubique promulgari; concedunt enim adversarii sic debere fieri, cum ita volunt, & exprimunt SS. Pontifices, quod penes ipsos est. Neque vicissim nos urgent, quæ ipsi opponunt de variis legibus Pontificum, quas declarant obligare post promulgationem Romæ factam, quia pariter fatemur sic esse, quando ex causa urgente ita mandant & exprimunt SS. Pontifices. Questio itaque est de lege, quam fert SS. Pontifex pro tota Ecclesia, nihil exprimendo pro, aut contra promulgationem in Provinciis faciendam; & dicimus tunc jure præsumi ipsum velle, ut in aliis Provinciis non antè obliget, quam in iis promulgetur, & hoc propter rationes sequentes. Unde

Prob. 1. In quibus Jus Canonicum nihil decernit, standum est Juri civili; atqui Jus civile exigit, ut diximus, promulgationem legis in singulis Provinciis, ut in iis obliget; & Jus Canonicum nihil hac de re decernit: ergo. Prob. Ex ipso Jure Canonico cap. 1. extra de novi operis enuntiatione, ubi dicitur: *Sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita sacrorum instituta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur*. Et Plus IV. in Bulla *ad Sacrorum*, jam laudata, quantum ad tempus, quo incipient obligare decreta Concilii Trid. sequitur dispositionem Juris civilis in Novella 66. cit. Quia, inquit, etiam Jure communi sancitum est, ut Constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant, &c. Unde falluntur Sylvius, & Gonet, dicentes Jus Imperatorum in judiciis Ecclesiasticis dumtaxat habere locum, ubi Jure Canonico nihil est statutum: ergo jure præsumimus SS. Pontifices, quando nihil in contrarium exprimunt, velle suas leges, sicut Imperiales, in singulis Provinciis promulgari, ut in iis obligent.

Prob. 2. Ideò legis promulgatio requiritur, ut possit innotescere subditis; atqui id non nisi difficillimè, & post longissimum tempus obtinebat in vastissimo Ecclesie Imperio ad extremas usque mundi partes extenso, si solum Romæ promulgetur; facile autem, & intra breve tempus, si promulgetur in singulis Provinciis: ergo ita velle Pontifices jure præsumitur, quando contrarium non exprimunt.

Prob. 3. ab inconvenientibus. Si lex Romæ tantum promulgata obligaret ubique, sequeretur gravia inconvenientia. Sequeretur enim, quod, si esset lex irritans, puta matrimonium in quinto gradu coisanguinitatis, omnia matrimonia ab ignorantibus contracta in isto gradu essent invalida. Si autem sit lex tantum vetans, aut jubens, puta jejunium, induceretur difficultas, & confusio inter incolas ejusdem Provinciae, vel Civitatis, dareturque locus scrupulis, & anxietatibus; qui enim aliquid rescirent de promulgatione Romana, tenerentur jejunare, seu festum servare; qui ignorarent, non tenerentur; & dum major pars ignoraret, pauci qui rescirent, neque commode, neque convenienter legem observare possent, & inde scrupuli & anxietates: ergo fundatè dicimus, SS. Pontifices, quorum regimen suave est, & benignum, & quibus data est potestas ad ædificationem, & non ad destructionem, nolle suas leges in Provinciis obligare, antequam in illis promulgentur, nisi aliter se intendere declarent.

Confirmatur: communis sententia est, legem etiam Pontificiam usu non receptam non obligare, ea potissimum ratione, quod præsumatur non esse mentem Legislatoris, quod in hoc casu obliget; atqui æquitati, & rationi longè magis est consentaneum præsumere, quod non intendat legem suam obligare, quia non est sufficienter promulgata, quam, quia licet promulgata, non est recepta: ergo.

Tandem SS. Pontifices sciunt, plures suas leges in multis Provinciis non observari defectu promulgationis. Hac ratione Bulla Cœnæ non obligat in Gallia; matrimonia clandestina in aliquibus locis, in quibus non fuit promulgatum Tridentinum, sunt adhuc valida, & sic plura alia. Item norunt, nostram sententiam a multis tradi, & tamen silent; ergo signum est hanc esse eorum mentem, ut suæ leges non obligent in iis Provinciis, in quibus non sunt promulgatæ.

Dixi 1. Conclusionem: *Leges Pontificie, statuentes Jus novum, & novam inducentes obligationem* quia, si lex Pontificia declaret tantum Jus antiquum sive naturale, sive divinum, sive humanum, sufficienter promulgatum, sufficit quantum est ex vi promulgationis, quod promulgetur Romæ, ut ubique obliget illos, qui illam promulgationem quovis modo resciverint. Unde leges Dogmaticæ, declarantes aliquid pertinere ad *Theol. Billuart. Pars Secunda.*

fidem, damnantes propositiones, aut libros continentes errores contra fidem, aut mores, non indigent promulgari in singulis Provinciis, ut in iis obligent; sed sufficit, quod quovis modo constet ita fuisse ab Ecclesia, vel S. Sede declaratum. Ratio est; quia non tam sunt leges, quam declarationes legum, jam promulgatarum: Hoc ipso autem quod quis quovis modo cognoscit sive promulgatione, sive divulgatione, sive proprio studio aliquid esse contrarium Juri vel naturali, vel divino, vel etiam humano promulgato, tenetur illud vitare: ergo maxime, si illi constet per divulgationem de solemnitate definitionis Pontificia ita decernente, & declarante, saltem quantum est ex vi promulgationis, & notitiæ. Quod addo, ut occurram evasioni quorundam, qui obijciunt declarationem SS. Pontificis non esse infallibilem: non enim hic queritur de fallibilitate vel infallibilitate SS. Pontificis, sed de sufficientia promulgationis legis ut obliget, suppositis aliis supponendis, utrum scilicet lex, quæ si esset promulgata in singulis Provinciis, in iis obligaret, etiam in iis obliget, quamvis sit tantum Romæ promulgata? Et respondemus affirmative de legibus, quæ Jus novum non statuunt, sed tantum antiquum declarant.

Sed petes, utrum, qui non obediunt hujusmodi legibus declaratis Juri antiqui in suis Provinciis non promulgatis incurrant penas per eas latas, v. gr. utrum tenentes propositiones damnatas, vel legentes, aut retinentes libros prohibitos, incurrant censuras in his legibus contentas? Respondet affirmative Daëlmán; quia, inquit, 1. Ad poenam incurrendam non requiritur illius promulgatio, sed sufficit scientia pro communicatione incurrenda; nam pro aliis penis nequidem generatim requiritur scientia. 2. Quia dictæ poenæ videntur contineri in Jure antiquo publicato, scilicet in regula 10. Indicis Concilii Trid. in fine. Alii existimant, hujusmodi leges, quamvis sint tantum aliunde declarationes, quatenus tamen statuunt penas, esse veras leges, & condere Jus novum, atque novam obligationem inducere, ideoque ad penas incurrendas debere promulgari in singulis Provinciis.

Ad 1. rationem in contrarium respondetur, quod, cum dicitur ad excommunicationem incurrendam sufficere qualemcumque ejus notitiam, supponatur, quod lex eam statuens sit sufficienter promulgata; quod hic non currit. Ad 2. Regulas Indicis non tam de facto libros prohibere sub tali poena, quam tradere modum, secundum quem ab Ecclesia prohibentur, ut ipse Daëlmán dicit paulò superius. Unde, quod hunc librum prohibeat sub poenâ excommunicationis, est lex, Jus novum, & novam obligationem inducens quantum ad poenam. Insuper huic Indici in multis derogatum esse per usum contrarium, omnes norunt. Cæterum, quam ex his duabus opinionibus probabilior reputabit Lector, sequatur.

Dixi 2. *Nisi contrarium exprimat Pontifex*: quia, si SS. Pontifex declararet, se velle legem suam Romæ promulgatam obligare ubique ex aliqua urgente causa, puta, quia scit promulgationem suæ legis, apprime Ecclesie utilis, fore a malevolis injustè impediendam, vel quia res non patitur moram, &c. concedimus, quod tunc obligaret ubique; quia, quamvis ordinata ratio legis introducendæ cum fructu, & effectu, & sine inconvenientibus requiratur promulgationem in singulis Provinciis; per accidens tamen, & propter necessitatem potest minor sufficere: & si aliquid inconveniens inde oriatur, potest negligi, & compensari per fructum, & effectum legis, qui defuisset, si debuisset in singulis Provinciis promulgari. Neque omnino simile est de Imperatore, qui fortè etiam secluso Jure positivo id non posset, quia habet auctoritatem suam originativè a populo, qui secundum aliquos non censetur ei contulisse potestatem ferendi leges, absque eo quod promulgetur in suis Provinciis. Pontifex autem habet suam auctoritatem immediate a Christo, ideoque independentem a nutu, & modificatione populorum, sed exercendam, prout utilius judicaverit expedire Reipublicæ Christianæ.

#### Solvuntur objectiones contra tertiam Conclusionem.

**O**bj. 1. Nec naturali, nec positivo Jure requiritur ad legem Pontificiam alia promulgatio, quam in Curia Romana: non naturali; quia lex ex natura sua non requirit promulgationem in singulis Provinciis: non positivo; quia nullum est Jus divinum, vel humanum, quod aliam promulgationem in legibus humanis requirat: ergo. R. Promulgationem in singulis Provinciis requiri ex præsumpta voluntate SS. Pontificum; hæcque præsumptio fundatur in Jure tum naturali, tum positivo, ut patet ex probationibus conclusionis.

Obj. 2. Sunt multe leges Corporis Juris Canonici insertæ, ut Decretales, & aliæ, quæ non nisi Romæ fuerint promulgatæ; atqui tamen ubique obligant: ergo. R. 1. retorquendo argumentum: Sunt multe leges, quæ non obligant ubique defectu promulgationis in singulis Provinciis, ut patet ex proba-



tionibus conclusionis: ergo. R. 2. D. Maj. Quæ non nisi Romæ fuerint promulgatæ formaliter, Transeat; virtualiter, N. Hoc ipso enim, quo auctoritate, & jussu SS. Pontificum inseruntur corpori Juris, & publicè leguntur in scholis, censentur virtualiter, & plusquam virtualiter, idèque sufficienter promulgatæ. Idem dic de lege, quæ solum Romæ promulgata recipitur, & in usu haberetur a fidelibus; praxis enim, & usus tenent locum promulgationis; & ita Bulla Cœnæ vim obtinuit in pluribus Provinciis.

Inst. 1. Ex Stylo Curie Romanæ, in qua omnes lites ex omni parte mundi illuc evocantur derimuntur juxta leges Romæ tantum promulgatas: ergo istæ leges censentur ubique obligare. R. D. Conseq. ergo istæ Leges censentur ubique obligare quoad forum externum, Transeat, tùm quia quilibet Judex merito attendit promulgationem in sua Patria factam; tùm quia est moraliter impossibile, quòd Judices Romani sciant omnium Provinciarum usus, & consuetudines. Quoad forum internum, N. alioquin non possent SS. Pontifices causas Romam evocatas remittere, ut sæpe remittunt, ad Ordinarios, a quibus sciunt esse derimendas, non secundum leges Romæ tantum promulgatas, sed secundum usus, & leges in suis Provinciis vigentes. Idque magis evincitur ex eo, quòd lites Romæ derimantur secundum leges, non solum non promulgatas, sed nec usu receptas in Provinciis, consequenter in iis non obligantes in conscientia. Ex hoc igitur, quòd derimantur secundum leges in Provinciis non promulgatas, malè inferitur, quòd istæ leges obligent in illis quoad conscientiam. Dixi: *Transeat Consequens* quoad forum externum; quia etiã quoad illud extra Ditionem Romanam non obligant. Sunt qui respondeant argumento, Judices Romanos sequi oppositam sententiam probabilem.

Inst. 2. Pius IV. Bulla *Sicut ad Sacrorum*, jam laudata, declarat omnia Concilia Trid. decreta circa reformationem, & Jus positivum incepisse obligare 1. Maii, id est post 3. menses ab eorum confirmatione; ea enim confirmata sub finem Januarii ejusdem anni; atqui non potuerunt hæc decreta tam brevi spatio promulgari in omnibus Christiani Orbis Provinciis, puta in Indiis Orientalibus, in America, & in aliis partibus remotioribus: ergo. Posset responderi, hanc instantiam non militare absolute contra nostram Conclusionem, in qua dicimus, nisi contrarium exprimat Pontifex; omnia tamen hac responsione, R. SS. Pontificem vel intelligere, quòd obligent eos, apud quos erant formaliter, aut virtualiter promulgata: & hi erant plerumque ex toto Orbe Christiano ad Concilium evocati fuerint Episcopi, & alii, & statim decreta typis mandata fuerint, ut citius innotescerent. Vel intelligere de obligatione in foro externo tantum. Alterutrum solutionem esse admittendam, probant sequentia. 1. Quia alias sequeretur, quòd hi, ad quos illorum Decretorum notitia non potuissent etiam per divulgationem pervenire, quales erant Americani, Indi, Sinenses, &c. iis secundum Conscientiam obligarentur in actu secundo, cum dicat Pontifex: *Neque post eam diem excusationem cujusquam quòd ea ignoraverit, admittendam*; quod tamen nemo admittit: ergo vel de iis, quibus saltem virtualiter erant promulgata, vel de foro externo debet intelligi. 2. Et hoc ultimum aperte indicant ipsa verba Bullæ: sic enim prosequitur Pontifex: *Atque ita... ab omnibus judicari debere, mandamus atque statuimus; decernentes irritum, & inane, si quid secus a quoquam contigerit iudicari*: Hæc porò manifestè spectant forum externum. 3. Quia sequeretur item, quòd decreta derogatoria, quæ plurima sunt, obligarent ante promulgationem in singulis Provinciis, cum Pontifex velit in eadem Bulla servari dispositionem Juris civilis quantum ad tempus obligationis, non est verisimile, quòd ab ea recedat quantum ad locum. Undè nec ipsa Bulla est recepta in certis locis defectu promulgationis.

Quantum ad id, quod vulgariter dicitur, *Papam habere pedes plumbeos, non plumbeos*, quod quidam intelligunt; quia non tenetur per singulas Provincias discurrere, ut in iis suas leges promulget: R. Papam non indigere pedibus plumbeis ad discurrendum per omnes Provincias leges suas promulgandi causa, cum ubique habeat Legatos, Nuncios, Episcopos, quibus hoc officium demandare possit.

Ex dictis itaque colliges, quòd, si sit lex Romæ promulgata, & non alibi, puta Leodii, Petrus, commorans Leodii nullatenus hac lege teneatur, etiamsi sciat esse Romæ promulgatam. At, si sit promulgata Leodii, & tamen Petrus, aut quilibet alius commorans in Diocesi Leodiensi eam invincibiliter ignoret, obligabitur quantum est ex vi legis; sed ratione ignorantie invincibilis excusabitur, eam transgrediendo, a culpa, & poena, non tamen ab aliis effectibus legis; ita ut sit lex vel irritans, vel decernens pretia rerum, vel taxans valorem monetarum, & similes, hos effectus sortitur etiam in ignorantie invincibiliter. Undè, si Petrus ignorans invincibiliter legem

prohibentem, & irritantem, v. gr. matrimonia clandestina, sufficienter promulgatam, clandestinè contrahat, non peccat, sed matrimonium est nullum. Similiter, si vendat merces alicui pretio, aut tradat pecuniam majori valore, quam fert præscriptum legis promulgatæ, quam ignorat invincibiliter, non peccat, sed tenetur restituere, quod recepit ultra præscriptum legis. Ratio est; quòd lex sufficienter promulgata verè obliget, cum virtus obligandi ab ipsa lege, non a notitia subditi, proveniat: defectus autem notitiæ efficit duntaxat, nec transgressio sit involuntaria, & idèd non peccaminosa, quod imputabilis ad culpam.

### §. II. De Legibus revocatoriiis.

**D**istinguendum est inter legem revocatoriam legis onerosæ, qua nempe aliquid præcipitur, aut prohibetur, vel qua quis inhabilitatur, aut poena decernitur; & legem revocatoriam Privilegii, seu gratiæ. Item revocatio Privilegii, seu gratiæ, vel fit publicè per legem communem, vel privatim per nuntium, aut per litteras. Juxta hæc distinctiones pono tres sequentes Conclusiones.

Dico 1. Ad revocationem validam legis onerosæ non requiritur promulgatio; sed sufficit, si exterius manifestetur, modo tamen ita sit intentio Legislatoris; non autem, si sola mente concipiatur. Prob. 1. pars. Lex neminem adstringit nisi de voluntate Legislatoris, a qua vim habet obligandi: ergo quòd Legislator vult, & declarat suam legem non amplius ligare, cessat ejus obligatio; idque eò magis quòd sit aliquid favoreabile, ex quo nihil fit injuria, aut inferitur damnum, idèque ampliandum. Neque refert leges debere promulgari, ut dictum est: id namque verum est duntaxat de veris legibus, non de revocationibus legum, quæ non sunt veræ leges, sed destructiones legum; minus enim requiritur ad destruendum legem, quam ad illam adstruendam, quia malum, & destructio est ex quovis defectu, bonum, & constitutio ex integra causa. Dixi: *Modò tamen ita sit intentio Legislatoris*; quia, quamvis Legislator decrevisset legem tollere, idque declarasset, si tamen nollet eam revocari, donec promulgetur revocatio, non foret eo usque revocata.

Sed dubium est, utrum, si Legislator simpliciter dicat, & declarat aliquibus, vel in suo consilio, se tollere, seu sustulisse legem, hoc ipso statim cesset lex respectu omnium subditorum, antequam notitia hujus revocationis possit ad eos pervenire? Respondet affirmativè Wiggers; quia, inquit, favorabilia, qualis est revocatio legis onerosæ, sunt amplianda.

Respondet Franciscus Henno, non esse creditibile, a præfatio onere absolvi subditos, antequam potuissent revocationis notitia pervenire; quia revocans censetur humano modo velle agere. At forte reponet quis, etsi vera sit sententia Wiggers, indè non sequi Legislatorem non agere humano modo. Dum enim jubet Legislator revocationem legis promulgari in sua Curia, hoc ipso statim cessat lex respectu omnium, etiam antequam notitia hujus revocationis possit ad eos pervenire: non enim lex revocatoria oneris debet promulgari in singulis Provinciis, ut docet communis sententia, & fateatur ipse Henno ibidem; atqui nihilominus Legislator in hoc casu agit humano modo: ergo & in priori. Itaque, juxta sententiam Wiggers, si Pontifex declarat hodie aliquibus se revocasse, & revocare legem prohibentem matrimonium in quarto gradu affinitatis, & Titius cràs Leodii contrahat matrimonium cum affine in quarto gradu, validè contrahit; peccat tamen ex conscientia erronea, qua se credit lege adstringi. Juxta autem sententiam P. Henno, ut validè contrahat, debet scire, aut potuisse scire hujusmodi revocationem. Utramque sententiam iudicio lectoris permitto.

Prob. 2. pars, quæ est Azorii, & Malderi, quos citat, & sequitur Sylvius. Quia, sicut homines sunt sensibiles, ita reoguntur actionibus, & signis sensibilibus, non autem solis interioribus animæ conceptibus: ergo revocatio sola mente concepta non valet.

Dico 2. Quòd revocatio privilegii, vel gratiæ fit per legem communem promulgandam, probabilis mihi est per se, & regulariter loquendo requiri, & sufficere promulgationem in Metropoli cujusque Provincie; ita ut, postea hac promulgatione, privilegium sit revocatum, & acta sint irrita, quamvis ab ignorantibus fiant. Conclusio est media inter contrarias Auctorum sententias. Quidam enim, ut Soto, Valentia, & alii, quos citat, & sequitur Wiggers, tenent legem revocatoriam Privilegii, seu gratiæ debere promulgari in singulis Civitatibus. Quidam e contra, ut Suarez, Salas, &c. quos citat, & sequitur Sylvius, volunt, quòd sufficiat promulgatio in curia Principis.

Prob. Quamvis lex merè revocatoria Privilegii non sit vera lex, sed abrogatio legis private, cum tamen conducat ad mores informandos, & secundum illam agere debeant homines, ita ut si agant contra illam, & utantur inscienter Privilegio revocato, gravia incurrant inconvenientia, requiritur, & sufficit,

quòd

quòd ita promulgetur, ut facile, & commode possit in notitiam subditorum pervenire: id namque omnino rationi congruum est, & ita jure præsumitur de mente aequi Legislatoris; atqui, si promulgetur in sola curia, vel Papæ, vel Principis, difficile perveniet ad notitiam subditorum; facile, si in Metropoli cujusque Provincie promulgetur: ergo.

Dixi: *Per se, & regulariter*; quia, si Legislator ex justa causa contrarium declarat, aut consuetudo aliud obtinuerit, utriusque standum est.

Dico 3. Quòd revocatio Privilegii, aut Indulgentiæ concessæ alicui personæ, loco, vel rei, item delegatæ jurisdictionis, alterius facultatis, & gratiæ non sit per legem communem promulganda, sed privatim per nuntium, aut litteras, non autem viam suam obtinet, aut effectum suum sortitur, quam Privilegiato innotescat. Quia aliquo gravissima sequerentur incommoda, multi contractus forent irriti in gravamen aliorum, multæ absolutiones forent nullæ, multa matrimonia invalida consummarentur, &c. Ità communiter Auctores, quos magno numero citat, & sequuntur Sylvius, & Loth. Imò quidam non improbabili tenent, non sufficere casualem notitiam, sed debere fieri per litteras, aut nuntium ad hoc destinatum; & hoc, ni fallor, ex voluntate præsumpta Legislatoris. Si ergo Privilegium sit collatum alicui personæ in particulari, illi debet innotescere revocatio; si concessum sit alicui pro loco, Collegio, Confraternitati, Diocesi, Parochiæ debet innotescere iis, qui præsent, aut curam habent istius loci, seu communitatis; non est autem necesse, quòd singulis de communitate innotescat.

Ex his colliges, quid sit censendum de Actis Procuratoris, Nuncii, Vicarii, de valore Indulgentiarum, de facultate eligendi Confessarium, & similibus: nimirum esse valida, & durare quoad revocatio non innotescit.

Excipiunt contractus matrimonialis per Procuratorem, cuius revocatio quocumque, etiam mente facta, est valida, ut statuitur C. *Procurator* Tit. de Procuratoribus. Ratio est; quia Jus non potest superare consensum requisitum ad valorem matrimonii, qui per quocumque revocationem etiam interiore corruit. Potest autem in aliis contractibus supplere consensum contrahentium, isque invitis transferre dominium.

Petes: Quantum lapsus temporis a promulgatione sufficienti requiratur, ut lex obliget? R. Si Legislator determinat tempus, antè quòd non vult suam legem obligare, indubium est eam ante illud non obligare: quia, sicut est ipsius leges ferre, ita & tempus obligationis determinare. Si verò nullum tempus a Legislatore præhætur, Lex Imperatoria non obligat antè 2. menses. Ità statuitur in Jure Novella prius cit. *Ut nova Constitutiones*. Idem videtur dicendum de legibus regnorum, & Provinciarum, quæ Jure Cæsareo utuntur.

Quantum ad leges aliorum Regum, & Principum, attendendum ad consuetudinem; si quæ sit; si non, sistendum est intra terminos Juris, & æquitas naturalis. Porò Jus, & æquitas naturalis in hoc casu exigit, saltem de congruo, ut lex non obliget, nisi effluxerit tempus moraliter sufficiens, ut ejus notitia haberi possit uniformiter, ne unum scientem obligando, alterum nescientem non obligando, orientur confusiones, rixæ, & imparitates inter subditos. Hinc lex prius obligabit in loco promulgationis, quam in aliis remotioribus.

Idem videtur dicendum propter easdem rationes de legibus Pontificis, in quibus nullum est tempus a Pontifice datum. Equidem non desunt, qui tenent eas non obligare nisi post duos menses a sufficienti promulgatione; quia sic disposuit Jus civile Novella citata, cui non contradicit Jus Canonicum, eamque dispositionem Juris sequuntur est Pius IV. quantum ad tempus, quo obligarent decreta Concilii Trident. Sicut ergo diximus, standum esse huic Juri quantum ad locum promulgationis, idem videtur dicendum quantum ad tempus obligationis. Ità tamen non pauci; dicitque Becanus, esse sententiam communem, quam fateor esse bene probabilem. Attamen dubito, nam usus, & praxis huic Juri dispositioni non derogaverit. Is enim mihi videtur sensus communis, & praxis fidelium, ut se credant lege Ecclesiastica teneri, statim ac resciant eam esse sufficienter promulgatam. Huicque usui, & sensui favet Stylius Curie Romanæ, quæ punit eos, qui contra legem delinquant statim ab ejus promulgatione sufficienti. Saltem hæc sententia est tutior.

### ARTICULUS III.

*Utrum lex pendeat ab acceptance Populi?*

**C**irca præsentem questionem varia sunt Auctorum placita. Quidam tenent, & omnes leges, tam Ecclesiasticas, quam civiles, pendere ab acceptance populi, ut obligent. Hæc sententia tribuitur Navarro, Covarruvias, Sylvestro, Innocentio,

Hostiensi, Turcremata, Angelo, Azorio, Lessio Valentia, Tannero, & aliis; sed immerito quantum ad plures. Eam falso tribuit Sylvestro, & Tannero probat Sylvius hic: similiter de Lessio, patet ipsum legenti. Quidam loquuntur in hypothesis, quòd Legislator legem proponat sub hac restrictione, si populus acceptet, ut Navarrus, & Covarruvias. Quidam loquuntur de legum abrogatione per consuetudinem contrariam, ut Angelus; & sic fortè de pluribus aliis, si illos scrutari vacaret. Quidam id asserunt de omnibus legibus Civilibus; negant de legibus Ecclesiasticis. Quidam e contra negant de legibus Civilibus; affirmant de legibus Ecclesiasticis, ut Juenin. Alii tandem communiter negant de omnibus legibus, tam Ecclesiasticis, quam Civilibus, ita Medina, Martinez, Aravio, Lorca, Castro, Vasquez, Sylvius, Wiggers, alique plurimi; præsertim recentiores, cum quibus.

Dico: Nulla lex sive Civilis, sive Ecclesiastica pender ab acceptance Populi. Prob. 1. ex Scriptura. De Prælati Ecclesiasticis dicit Christus Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*. Apost. Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis*. De omnibus Superioribus Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & Quæ resistit Potestati, Dei ordinationi resistit*. Nullibi apponitur hæc, aut similis clausula, seu exceptio, si volueris obedire; nec nisi absurdissime subintelligeretur, quasi diceretur: obedite Præpositis vestris, quòd vobis placuerit, subditi estote, si volueritis, &c. atqui, qui non acceptant legem a legitimo superiore laicam sine hac, aut simili exceptione, ipsum spernit, illi non obediunt, nec subditi, sed illi resistit: ergo tenetur illam acceptare, & observare: ergo independentè ab ejus acceptance obligat. Undè merito damnata est ab Alexandro VII. hæc propositio: *Populus non peccat, etiamsi absque justa causa non recipiat legem a Principe promulgata*.

Prob. 2. Ratione; qua simul præveniunt rationes adversariorum. Si lex, sive Civilis, sive Ecclesiastica, non obligaret nisi dependentè ab acceptance populi, id proveniret vel ex defectu voluntatis in Legislatore, qui non vellent suam legem obligare nisi sub hac conditione, vel ex defectu potestatis; atqui neutrum dici potest: ergo. Major. continet fundamenta adverse sententiæ, Prob. Min. Non defectu voluntatis; quia hoc ipso quo Legislator fert legem verbis præceptivis, sicut, cum Prælati præcipit absolute Religioso, Pater filio, herus servo, censetur absolute velle, ut sibi obediatur; & non, si ita placeat subdito; & sicut foret planè ridiculum, quòd, cum dicit Dominus famulo, fac hoc, subintelligeretur, si tibi placet, ita similiter in nostro casu. 2. Præceptum, quod non obligaret subditum nisi dependentè ab ejus consensu, non foret præceptum, sed consilium: ergo lex, quæ non obligaret nisi dependentè a consensu populi, non foret præceptiva, sed consiliatrix, consequenter non foret lex; lex enim est præceptum. 3. Solent Legislatores metu, imò, & infliccione penarum, cogere refractarios ad observantiam suarum legum: ergo volunt absolute eas obligare independentè ab eorum consensu.

Non defectu potestatis, quasi illam habeant Legislatores a Populo sub hac restrictione, *si consenserit populus*. In primis potestas Ecclesiastica est in SS. Pontifice immediate a Christo, similiter in Episcopis, vel saltem mediante SS. Pontifice. Potestas civilis est in pluribus Jure belli, & non a populo. Quantum ad alios, qui illam habent originativè a populo; hoc ipso quo Communitas illam Principi contulit sine restrictione expressa, ut fit communiter, Princeps est solus superior, atque potestatis collator: habet solus dominium, & usum independentè a populo: ergo, velit nolit populus, Princeps habet absolute potestatem legislativam, cui omnes tenentur obedire. Confirmatur 1. Legislatores possunt poenis inflictis compellere subditos refractarios ad observandam suas leges: ergo & ad eas acceptandam: ergo potestas, quam habent ferendi leges, & obligandi, non pender ab acceptance subditorum. Confirmatur 2. Potestas legislativa, dependens a consensu populi, foret imbellis, & insufficientis ad regendum populum, & ad malos coercendos; imò foret planè inutilis, & nullæ prorsus leges his corruptis temporibus acceptarentur, cum homines, pro majori parte suis cupiditatibus servientes, sint omnis ordinis, & subjectionis impatientes. 3. Si potestas legislativa a consensu populi dependeret, major foret auctoritas populi, quam Principis; est enim major auctoritas legem confirmantis, aut abrogantis ad suum utrumque, quam instituentis. Item posset esse bellum justum ex utraque parte; nam superior justè exigeret obedientiam, & subditi justè resisterent, cum acceptatio legis penderet ab eorum arbitrio.



Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Gratianus D. 4. cap. In istis dicit ex Aug. l. 1. de vera Relig. cap. 31. Leges instituntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur. L. De quibus ff. de Legibus. Ipsa leges non alia de causa nos tenent, quam cum iudicio populi recepta sunt. Et Aristot. 2. polit. cap. 6. dicit, legem nullam vim habere, ut sibi pareatur, nisi ex more populi: ergo. R. Ad 1. hæc verba, ut jam alibi dixi, non repetiri in Aug. sed esse ipsius Gratiani. Sed cujuscumque sint, plus nocent, quam prosunt adversæ sententiæ. Si enim leges instituantur, cum promulgantur: ergo per solam promulgationem aut acceptationem sunt veræ leges. Cum autem addit Gratianus, leges firmari moribus utentium, sensus est, quod per usum roborantur & removeantur a periculo abrogationis per contrariam consuetudinem; unde non dicit acceptationem, sed moribus utentium firmari.

Inst. Refert ibidem Gratianus; Telesphorum Papam non punivisse Clericos, qui contra suam legem a Dominica Quinquagesimæ non abstinuerant a carnibus, quia, inquit, moribus utentium præbatur non est. R. Iterum hæc verba non esse Thelesphori, sed Gratiani; & ibi sermonem esse de lege per dissuetudinem, non contradicente Pontifice, abrogata. Leges autem posse per consuetudinem contrariam abrogari, dicimus infra. Necinde valet argumentum ad non acceptationem, ut modo dicam.

Ad 2. R. Ibi agi de legibus Reipublicæ Romanæ, cum, abjecta Monarchia, summa potestatis erat penes populum, a quo proinde pendebant leges, non ut acceptante, sed ut instituyente: & non est hic noster casus. Verum istæ leges non pendebant ab acceptatione Provinciarum Reipublicæ subiectarum; & hic est noster casus. Fatemur ergo, quod, si suprema potestas sit penes populum, ut in Democratia; vel penes Optimates, ut in Aristocratia; vel penes Principem & Senatum, ut in Monarchiâ temperatis Aristocratia; tunc leges pendeant, vel a Populo, vel ab Optimatibus, vel a Principe & ejus Senatu, ut instituantur: at negamus, semel institutas sive a Principe solo, cum est absolute Dominus, vel a Principe cum Senatu, vel ab Optimatibus, posse rescari a Populo, & pendere ab ejus acceptatione, ut valeant. Ad tertium. Sensus Aristotelis est, quod lex ex more per actus repetitis acquisita, hoc est, ex assuefactione acquirit vim, ut sibi facile pareatur; intendit enim ibi probare leges non esse facile mutandas, quia semel institutæ ex assuefactione facillius observantur.

Obj. 2. Lex acceptata & observata per consuetudinem populi contrariam abrogatur, & desinit obligare: ergo a pari & a fortiori lex a populo ab initio recusata non incipit obligare. R. D. Ant. Lex per consuetudinem contrariam ex Legislatoris consensu vel tacito, vel in Jure declarato, abrogatur & desinit obligare, C. Ant. Secus, N. Ant. & Conseq.

Subsumes; atqui, quando lex a Populo non acceptatur, jure præsumitur Legislatorem consentire in ejus abrogationem, seu iritationem: ergo. Prob. Subsumptum: Lex a populo non acceptata desinit esse utilis, & fit noxia atque periculosa, ut potè causa tumultuum & rebellionum: ergo. C. N. Subsumptum. Ad probat. N. Ant. universaliter sumptum; seu D. Lex a Populo non acceptata desinit esse utilis ex contumacia rebellionum, Transeat; ratione sui, N. Quapropter non est tollenda lex, sed frangenda gravioribus penis inflictiis rebellionum, maxime præcipuorum, pernicia, & sic remanebit legi sua utilitas. Ceterum prudentis Legislatoris est in hoc casu conferre utilitates ex observantia legis speratas, & periculum enervandæ suæ auctoritatis, si relaxet, cum inconvenientibus ex contumacia rebellionum nascituris; & secundum id, quod prævalebit, vel suspendere suam legem & dissimulare ad tempus, vel severius punire rebelles, & ad obediendum compellere.

Dum verò Legislatore, sciens & videns suam legem violari, non punit transgressores, dum potest, censetur suam legem auferre, aut suspendere; ad quod juxta Auctores sufficienter quaeritur, aut quinque transgressiones impunitæ. Neque necesse est, saltem ut censent aliqui, quod Legislatore per se sciat, aut videat transgressiones; sed sufficit, quod innotescant ejus Ministris, aut Episcopis, si sit lex Pontificis. Ità refert noster Gonet. In quo casu, quamvis rebelles primò peccaverint, potest tamen deinceps sine peccato negligere legem tanquam suspensam, vel ablatam.

Observant insuper Auctores, quod, quando res eò devenit, ut major pars communitatis legem nec acceptat, nec observat, etiamsi urgente Legislatore acceptationem & observantiam; minor pars, que huc usque Legem servavit, excusatur deinceps ab ejus observatione ex præsumpta voluntate Legislatoris, qui respectu istorum paucorum obediēte paratorum censetur, vel legem suspendere, vel in ea dispensare; eò quod observando legem nimis foret illis difficile cum transgressoribus

numero & auctoritate prævalentibus convivere. Debent tamen esse sic semper animo dispositi, ut, cum contrariam voluntatem Legislatoris noverint, sint obediēte parati; nec ex sua parte stet, quominus lex justa observetur. Item, dum consuetudo legitime præscripsit contra legem, omnes a lege esse liberos dicimus infra. Nomine autem communitatis hic intelligitur, non solum tota Ecclesia, aut Regnum, sed Provincia, Diocesis, Civitas, & quælibet multitudo aliquid corpus politicum seorsim constituens.

Inst. Sæpè tam Pontifices, quam Reges, ex ignorantia morum cujusque Provincie fuerunt leges, que bono communi aliquis Provincie magis obsunt, quam prosunt: ergo tunc saltem jure præsumitur esse voluntatem Legislatoris, quod non habeant vim, nisi ex consensu istius Provincie. R. 1. N. Ant. Neque enim Pontifices, neque Reges solent ferre leges nisi adhibito prudenti consilio, & facta sufficienti inquisitione, quid moribus cujusque Nationis, aut Provincie conveniat, vel non. 2. Si alijus communitatis Rectores, aut Primates existimant coram Deo legem latam non fore utilem subditis, sed potius noxiam, possunt ad tempus legem suspendere, & interim rationes exhibere Legislatori; qui, si ponderatis omnibus, urgeat nihilominus acceptationem & observantiam legis, est ipsi parendum, & lex observanda.

Obj. 3. Legislator habet suam auctoritatem a Populo: ergo non potest, nec debet ea uti in condendis legibus, sine consensu populi. R. hanc objectionem deficere 1. in Legislatoribus Ecclesiasticis, quam suam auctoritatem habent a Christo. Item in Principibus civilibus, qui eam habent jure Belli in subactas Provincias. Quantum ad ceteros, N. Conseq. Nullum est enim fundamentum dicendi, quod populus sub ea restrictione contulerit potestatem Principibus, ut patet ex probat. Conclusionis. Unde, quamvis olim Romani ad aliquod tempus ita egerint, postea tamen, deprehensis talis Regiminis inconvenientibus, in capita Reipublicæ auctoritatem absolute contulerunt; & ita fit ordinariè. Collatam autem semel absolute potestatem non potest populus ad nutum revocare, sed tenetur obediēte, quibus se submisit. Vide probationes Conclusionis.

Obj. 4. Et specialiter contra leges Pontificis ex differentia, que intercedit inter illas & civiles. 1. Potestas Ecclesiæ data est in ædificationem, & non in destructionem: ergo nihil fidelibus est imponendum, quod possit eos offendere. 2. Ipse Christus hanc differentiam inter utrasque leges aperit innuit, dum Luc. 22. contentionem ortam inter discipulos his verbis sedavit: Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent beneficii vocantur; vos autem non sic. 3. Principes civiles non solum gerere debent curam singulorum Civium, sed maxime totius Reipublicæ, & idè possunt Civis invitos aliqua lege cogere in bonum commune totius Reipublicæ: Principes autem Ecclesiastici invigilare præcipi debent singulorum salutem, exemplo boni Pastoris deserentis nonaginta novem oves, ut unam perditam quaereret. Ità illustrissimus Marca lib. 2. concord. Sacerd. & Imp. c. 16. 4. In Gallia, in Hispania, & Belgio leges Pontificis non habent vim, nisi fuerint in supremis Curis acceptate, & permissæ promulgari, seu ut communitè dicunt, nisi fuerint munitæ Placito Regio: ergo. R. ad 1. Potestatem civilem pariter esse datam ad ædificationem, non ad destructionem; indè tamen non sequitur leges non esse imponendas civibus. Equidè neque civibus, neque fidelibus debet imponi quidquam, quod illos jure offendat; ad justas leges neminem jure offendunt. Improbes offendunt propter illorum improbitatem, bonis autem placeant. Ad 2. Sensus horum verborum est, potestatem Ecclesiasticam non esse exercendam more civili cum armis & terrore, atque ostensione potestatis, & adhibito satellitio, sed cum cura & vigilantia erga fideles. Vel dicendum, ut aliis placet, contentionem ortam inter discipulos fuisse, qui eorum esse major in Regno caelorum, ut innuit versus sequens 29. quo supposito, sensus verborum Christi est, quod major elevatio in Regno caelorum non rependatur potestati, sed humilitati. Utramque explicationem tradit Estius in hunc locum. Ad 3. Pastores Ecclesiastici debent pariter invigilare, non solum singulorum salutem, sed maxime communi bono totius Ecclesiæ. Neque contrarium evincit Parabola boni Pastoris; nam per nonaginta novem oves intelliguntur Angeli, per centesimam perditam genus humanum; vel ut alij dicunt, per nonaginta novem intelliguntur justi, per unam perditam peccatores. Ad 4. R. hæc esse Privilegia, seu ut vocant, libertates ex concessione, aut consensu SS. Pontificum. Quantum ad Belgium tamen non conveniunt Theologi. Zipeus & Vvameus istud Privilegium restringunt ad solas provisiones beneficiales, quia Principum Belgii Edicta de his tantum loquuntur. Bertrandus Loth. e contra extendit illud ad omnia diplomata Pontificia ex usu, per longam annorum seriem continuato, scientibus & non contradicentibus SS. Pontificibus: Neque id solida ratione improbari potest, inquit Boudart. Recentiores Theo-

Theo-

Theologi Belgæ Steyartius & Daelman hunc usum non ita certum reputant, nisi quoad penas in Diplomatis Pontificis contentas; que Judices seculares executioni mandare non solent, nisi adit Placitum Regium.

Addunt cum aliis communitè circa Decreta fidei & morum, seu Constitutiones dogmaticas, quod neque Principes Belgii, neque ulli alij Catholici possint illis injicere moram; tum quia, ut diximus, istæ Bullæ non indigent promulgari, sed sufficit undequaque hausta earum notitia; tum quia alioquin Princeps secularis judicaret de fide & moribus, cum, denegando placitum, diceret Decretum Pontificium non obligare; idèque non esset sic tenendum, quod Pontifex docerit esse sic tenendum. Juvat hic audire Cabassurium, celebrem Scriptorem Gallum l. 1. Theor. & prax. c. 4. ubi postquam propugnavit sententiam nostræ oppositam, nimirum leges pendere ab acceptatione populi, sic prosequitur num. 6. At verò proptus

aliter judicandum est circa Decreta fidei, quibus ligatur quicumque privatum illorum habet sufficientem notitiam, quamvis neque in Provinciis promulgata, neque publice recepta fuerint... sic infidelis astringitur obligatione fidei, si ei sufficienter, quamvis per privata colloquia proponatur, ut contingit in Eunucho Regno Candacis cum Philippo Diacono, Act. 8. Et qui in Provincia dissita certò sciret, idem aliquod fidei decretum fuisse Roma ad valvas Apostolorum publicatum, hoc ipso illi acquiescere sufficienter teneretur.

Observat insuper Daelman, quasdam Curias Belgii pluribus exposulasse a Regibus Hispaniæ, ut neque Constitutiones dogmaticæ vim haberent absque Placito, & repulsam passas fuisse, præsertim a Philippo II. & Philippo IV. consequenter eos in errore versari, & contra reverentiam suis Principibus debitam agere, qui hodiè ad hujusmodi Constitutiones Placitum requirunt, aut tenent requiri.

DISSERTATIO IV.

DE POTESTATE LEGIS HUMANÆ.

D. Thom. Quæst. 96.

ARTICULUS I.

Utrum Lex humana possit præcipere, aut prohibere actus internos.

Nota Actus internus potest considerari dupliciter. 1. Secundum se seorsim nullam habens connexionem cum externo, ut simplex intellectio, simplex volitio, simplex actus fidei, spei, &c. 2. Ut connexus cum actu externo. Dupliciter autem potest actus internus connecti cum externo: uno modo per accidens, sic v. gr. intentio penitentia, aut vana glorie connectitur cum erogatione elemosynæ, potest enim elemosyna fieri absque tali intentione: altero modo per se; & hoc iterum dupliciter: 1. Tanquam causa per se actus externi in genere moris constituti, ut volitio libera dandi elemosynam, recitandi Horarum, conjugitur per se cum elemosyna, aut recitatione Horarum; sine illa enim elemosyna, aut Horarum recitatio non fieret, nec esset actus humanus. 2. Tanquam conditio necessaria requisita, ut actus exterior constituratur in certa specie moris, ut v. gr. attentio interna ad recitationem Horarum, dolor internus ad Confessionem; sine enim attentio interna recitatio Horarum non foret oratio, & sine dolore interno Confessio non esset Sacramentalis. Actus interior, qui connectitur cum exteriori ut causa per se illius, manifestatur per exteriorem; nemo enim facit elemosynam, qui non velit illam facere. Actus interior, qui connectitur alio duplici modo cum exteriori, non manifestatur per illum; quia actus exterior potest esse sine illo, ut elemosyna sine intentione vana glorie, recitatio Horarum sine attentio interna.

Quæstio est, quid possit lex humana circa hos omnes actus internos. De lege civili non est magna difficultas; conveniunt enim communitè Auctores eam non extendi ad actus merè internos, quia finis ejus proprius est tranquillitas & pax externa, que ab exterioribus dependet, non ab internis. Quantum ad actus internos conjunctos cum externis, patet ex dicendis infra. Controversia itaque est de lege Ecclesiastica. Plures tenent, per eam posse præcipi, aut prohiberi actus merè internos: ità Adrianus & quidam antiqui, quibus subscribunt multi Recentiores; hancque sententiam esse bene probabilem, non diffiteor, ut patet ex Objectionibus. Quidam negant, per legem Ecclesiasticam posse præcipi, aut prohiberi tam actus purè internos, quam conjunctos cum externis, nisi per externos manifestentur. Alii tandem tenent, legem humanam non posse quidem præcipere, aut prohibere actus merè internos; posse tamen actus internos per se conjunctos cum externis. Ità Thomæ cum suo Auctore. Quantum autem ad actus internos conjunctos per accidens cum externis, dissentiunt.

Dico 1. Probabilis est, & menti S. Thom. conformis, legem Ecclesiasticam non posse præcipere, aut prohibere actus merè internos, qui nullam habent connexionem cum externis. De mente D. Thom. quam oppositæ sententiæ Parroni in duobus revocant, judicet Lector ex sequentibus. 1. S. Doct. hic 9. q. 1. art. 4. o. prohibet, necessariam fuisse aliquam legem divinam hac ratione: De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: iudicium autem hominis esse non potest de interioribus moribus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent; tamen ad perfectionem virtutis requiruntur, quod in utriusque actibus homo rectus existat; & idè lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus,

sed necessarium fuit, quod ad hoc superveniat lex divina.

Respondet Sylvius, Ethica, & alij communitè, S. Thom. non dixisse legem humanam non posse absolute cohibere, & ordinare actus internos, sed non posse sufficienter; quia, licet possit eos præcipere, aut prohibere sub culpa & pena, seu censura coram Deo incurrenda, non potest tamen transgressores humano iudicio convenire, nec punire. Sed contra. S. Thom. sic negat legem humanam sufficere ad cohibendos, & ordinandos actus internos, ut simul neget posse ferri de illis; imò idè negat posse illos ordinare, quia negat posse ferri de illis, & negat posse ferri, quia negat hominem posse judicare de internis. De his, inquit, potest homo legem facere, de quibus potest judicare: iudicium autem hominis non potest esse de moribus interioribus, qui latent. Potentissima consequentia est: ergo de interioribus non potest legem ferre. Præpostere itaque procedit unde adversarij, dum iudicant de principio ex Conclusionem, cum è contra debeant intelligere Conclusionem ex principio. Undè, quando S. Doctor concludit: Et idè Lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter actus interiores: Sensus est, quod non erat sufficiens ad illos ordinandos, ac cohibendos: quia de illis non poterat judicare; & quia non poterat de illis judicare, idè non poterat de illis ferri, consequenter necessaria fuit ad hoc lex divina.

Respondet P. Henno, S. Thom. loqui de lege quoad vim coactivam, non quoad vim directivam. Sed contra 1. propositio S. Thom. est indefinita in materia dogmatica: De his homo potest legem ferre, de quibus potest judicare; consequenter universalis, & de quacumque lege, & sub quovis respectu intelligenda, juxta Regulas Dialecticæ. 2. S. Doctor non agnoscit legem, que non sit coactiva, ut patet ex sequentibus. Undè 2. S. Thom. hic quæst. 100. art. 9. o. sic loquitur: Dicendum, sicut supra dictum est (scilicet quæst. 90. art. 3. ad 3.) præceptum legis habet vim coactivam. Illud ergo cadit directè sub præcepto legis, ad quod lex cogit. Coactio autem legis est per metum pena, ut dicitur in X. Ethic. cap. ult. Nam illud propriè cadit sub præcepto legis, pro qua pena legis infligitur. Ad instituentem autem penam aliter se habet lex divina, & aliter lex humana. Non enim pena legis infligitur nisi pro illis, de quibus Legislator habet judicare, quia ex iudicio lex ponit. Homo autem, qui est Legislator legis humane, non habet judicare nisi de exterioribus actibus: quia homines vident ea, que parent, ut dicitur 1. Reg. 16. sed solum Dei, qui est Lator legis divine, est judicare de interioribus moribus voluntatum, secundum illud Ps. 7. scrutans corda & renes Deus. Quid iterum expressius?

Respondet Sylvius, legem humanam non posse judicare de interioribus in ordine ad penam per illam inferendam: Bene. Subsumo; atqui juxta S. Thom. nihil cadit sub præcepto legis, nisi id, ad quod lex ipsa cogit per penam per ipsam inferendam, quia præceptum legis habet vim coactivam, & lex non punit nisi ex iudicio: ergo a primo ad ultimum lex non potest ferri, de quibus non potest judicare.

3. S. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 5. o. In his, inquit, que pertinent ad interiorem matum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo; intelligi per se loquendo, id est, vi superioritatis, & subjectionis præcisè, secundo vinculum voti, vel aliud, quo quis se adstringere potest. Discussa mente D. Thom. veniamus ad alias probationes. Itaque

Prob.